

Bigaq; virgineis abitum venerata loquelis,
Foemineo reditum gestit adire sono.
Annuit acceptos SITTIGIUS inter amores,
GUNTHER Iq; preces in sua verba movet.
Quos etenim templo GENITOR pius ipse sacrauit,
Hos GENER exemplo ducet uterq; suo.
Plura quid expediam? vel cur mihi gaudia fingam,
Non nisi dilecto percipienda PATRI?
Sufficit expressis optata refundere verbis,
Dum valedicturi dantq; petuntq; preces:
Ite domum celeres, Deus est qui coepta secundat,
Ipsaq; fatorum gratia monstrat iter.
Is DEUS, ALBERTUM, dubias per Slesidos oras,
Qui procul ad tempe Lipsica duxit, adest.
Nam cur progeniem benefacti deferat Auctor,
Qui Patris in casto semine servat opus?
Ah quoties laudat studiosa caterva PARENTEM,
Consilio multis auxilioq; Patrem.
Vos igitur merces, vos hæc benedictio tangit,
Vos simul auxilium consiliumq; manet.
Ast ubi successus tulerit fortuna benignos,
Ne fluat ex animo patria nostra, precor.
Noverit ALBERTUS, quo vos HARTIGIUS ore,
STOLLIUS & quo vos semper amore probet.
Ipse SELIGMANNUS memorem sibi spondet ho-
norem,
Quod faciem chari Lipsia FRATRIS habet,
Applaudit JUSTUS, geminat Zittavia voces:
ALBERTI vigeat sanguis, ut ipse viget!

